

§. XV.

Hanc sequitur alienatio, ubi res pro pretio in alterius transit dominium. Haec emtio venditio proprie dicta consensualium species est contractuum, et hinc sequitur contrahentium adesse omnium consensum, eumque expresse declarari debere. Res vniuersitatis alienanda ad singulos pertinet; ergo requiritur, vt singula conuocanda sint vniuersitatis membra, ad declarandum consensum in alienationem, et praestanda alia, quae hunc contractum perficiunt. Siue itaque sit voluntaria alienatio, siue necessaria, necesse est, vt subsecuto membrorum consensu, et prae primis imperantis quaeratur adprobatio, delato ad eum statu causae, intercedente supplicatione, vt aduauat petitis, et auctoritatem suam negotio gerendo interponat. Pro ratione rei autem princeps simpliciter consentit, aut si ei visum fuerit, aliquid amplius in vtilitatem vniuersitatis adiicit, et hac de causa rescribit, quod implere partes tenentur. Alia communiter adhuc recensentur requisita in venditione rerum vniuersitatis necessaria, scilicet vt etiam iuramentum praestent, quod eredant, talem alienationem vtilem esse ciuitati; porro, vt iudex, causa cognita, decretum interponat. a) Sed haec omnia nisi hodie ab vsu plane recesserint, infrequentia sunt, et validus est emtionis venditionis contractus, ab vniuersitate celebratus, si, quae supra memorauimus, rite obseruata fuerint.

§. XVI.

Attamen licet contrahere quocunque modo concessum sit vniuersitati, donando tamen nemo priuatorum aliquid ab
 B 3 illa

a) STRYCK. *diff. d. alien. rer. ciuit. c. 4. n. 79. et 123. sqq.*